


Ap

11

10
Hlg

- 1 Syllodunus Kinsberger
- 2, Ignat. Dionisi Petrapina in Job.
aegyptias —
- 3 Vita Joh. Thusti.
- 4 Mayr de Pothar. s. Bone Lutheri
conjug.
- 5, De con- & disjuncta fundamentali
- 6, De Defect. Ad in Cere.
- 7, De Circulatione sanguinis
- 8, Antiquitates Alemannicae
- 9 Exaltatio Ad.
- 10 Ecclesia Colitica
- 11, Abusus Chymia in rebus Suis.
- 12 Balnea vaporosa.
- 13 Gratulatio Electori et Senatori Jurg.
aut. Wunschal Curat. Schola.
- 14 Einsegnung f. Franzwold.
- 15 Cor Pharaonis Datum.
- 16, Observat. hist. etij, a Gualterio parente
optimo.
- 17, Diss. exeg. ab eodem
- 18, Cursus Librorum in
Gymnasio
- 19 De Idolis Dirigenda in deinde



Veste!

pag. 653; XV.

- 20 De anima recens iustocatorum utilimen-
da
21. De Proscopia -
22. Causa Leid. Var. in N. D.
23. Eni eiusq. attributa.
24. Ad Luc. 12, 14.
25. fin. Prof. Rudolphum ab avo.
26. allegor. Iulium de Rudolph. Shuppel.
27. Tentat. Abrahami a parente optimo
28. adversus Calvinianos

12

ORATIO
DE ARTE ME-
DICA, ET CVRA TV-
ENDAE VALETU-
DINIS,

Scripta

à

PHILIPPO MELANCH-
thone in Academia VVitebergensi,

Recitata

à

PAVLO, MARTINI FILIO,
LVTHERO, MED. D. IN
ACADEMIA IENENSI.

*nunc primum ex ipso autogra-
pho in lucem edita*

VRATISLAVIÆ

Anno M. D. XCVIII.

ORATIO

DE ARTE ME-

DICATA ET CURATA

ENDAE VALETTA

DINIS

Scipio

PHILIPPO MELANCHO-

thone in Academia Vindoburgensi

Rectoris

RAVIO MARTINIUS

LYTHERO MED. D. M.

Academiae Vindoburgensis

Primum in hunc modum

pro in hunc modum

VARIATIONE

Anno M. D. XCIII.



ORATIO.



Eminerunt aliqui ex vobis initia mutationis doctrinæ in Ecclesia: qui cum omnium certaminum feriem sciant, quæ carissimus Pater meus sustinuit, & considerare possint, quantas controuersias ordine exposuerit, & quos furores fanaticorum & seditiosorum hominum represserit, multa sumere testimonia ex ipsa historia possunt, quæ ostendunt, & mentem & vocem carissimi Patris mei, in hac mutatione Ecclesiæ, diuinitus gubernatam esse. Sed maximè perspicuum testimonium est consensus manifestus cum scriptis Prophetis & Apostolicis, & Symbolis. Certum est igitur, non casu, non huma-

A 2

nis

nis consilijs, tenebras priorum tempo-
rum depulsas esse. Quare grati & ag-
noscamus & celebremus Dei benefici-
um, & Deo gloriam muneris immen-
sa bonitate dati, tribuamus: sicut scri-
ptum est: Sedet ad dexteram æterni Pa-
tris Filius Dei dans dona hominibus, pa-
stores & Doctores, &c. Sed tamen bo-
næ mentes etiam gratam memoriam
retinent mei Patris, quem Deus orga-
num esse huius tanti operis voluit. Spe-
ro igitur profuturam mihi esse, ad im-
petrandam benevolentiam vestram,
carissimi Patris mei recordationem.
Perficiam verò & ipse omnibus officijs,
quæ ego quidem præstare possum, ut
studia vestra & amicitiam tuear. Eò
autem hûc accessi libentius, quia cum
carissimus Pater meus annos octo &
triginta, apud Illustrissimos Principes
Electo-

Electores, Duces Saxoniae, horum Illustriſſimorum Principum, Ducum Saxoniae, qui hanc oram tenent, Patrum magnum, Auum, & Patrem ita vixerit, ut eum valde dilexerint, & periculorum ipsius ſocij fuerint, nec ſine magnis curis eum in geſtanda cruce adiuuerint: ſpero eis etiam ipsius poſteros curae futuros eſſe, meq; reuerenter eis commendo. Hæc initio præfa- tus ſum, ut, cognita mea opinione de veſtra beneuolentia, maiore ſtudio me audiatis. Voluit autem Pater meus ut ad Eccleſiæ doctrinam adiungerem Medicam, quod hæc ſapientia non ſolum valde officioſa ſit erga homines, ſed etiam commonefactiones plurimas de Deo, de miſerijs humanis, & de Inuocatione contineat: Quas ob cauſas & ſapientiſſima vetuſtas, Abrahæ, &

A. 3.

eius.

eius posterorum, doctrinam Ecclesiae,
& artem Medicam coniunxit. Norant
& Pater meus & carissima Mater plu-
rima remedia & multis feliciter opitu-
lati sunt. Pater sæpe impertuit reme-
dia alijs, ad pellendos sæuissimos cal-
culos: Mater non solum in mulierum
morbis, consilio & medicatione, mul-
tis opem tulit: sed etiam viris aliquo-
ties pleuritides dissoluit. Hæc multis
nota sunt. Itaq; parentum & cohorta-
tione & exemplo hanc artem & ama-
re & discere cæpi, ac Deum fontem sa-
pientiæ, & remediorum conditorem,
& artis monstratorem oro, ut me & in
docendo, & medicando gubernet:
Diligentiam certè & fidem vobis pro-
mitto. Cum autem inchoanda sit
prælectio, aliquid etiam de artis digni-
tate dicendum est. Nec laudabo no-
stram

stram artem vituperatione aliarum, ut
sæpè faciunt stulti & mali. Omnes ar-
tes, quæ sunt hominum vitæ necessa-
riæ, radij sunt diuinæ sapientiæ, sparsi
in mentes humanas, ut sint testimonia
de Deo, & ut sint adminicula vitæ. Qua-
re multi & magni multarum artium
usus sunt. Est autem utilitas Medicæ
artis manifesta in omnibus partibus, in
diætetica, prophylactica, & therapeu-
tica. Est & ipsa utilitas testimonium
de Deo, quia ostendit Deo curæ esse
homines, cum tanta arte cibos, & reme-
dia diuersissimorum morborum & or-
dinauerit, & distinxerit. Deinde tota
fabricatio humani corporis, ciborum,
& remediorum distinctio; & diuersæ
in remedijs vires, quorū alia alijs mem-
bris singulari cura attributa sunt, osten-
dunt hunc mundum non casu ex De-
mo-

mocriti atomis confluxisse, sed esse mentem æternam, quæ miranda arte & oeconomia, res omnes condidit & distribuit. Hæc consideratio mentes hominum ab Epicureis furoribus, & conuincit omnes, qui utcunq; iudicare possunt, ut fateri cogantur, esse mentem Architectatricem sapientem, beneficam, & amantem genus humanum, & illi Domino obtemperandum esse, iuxta eas leges, quas humanis mentibus impressit, à quibus vult cognosci. Est igitur excellens sapientia, hæc fabricationis corporum humanorum & aliarum rerum aspectio, & grata Deo, & utilis moribus. Ac debebat hæc ipsa causa, ut confirmaretur assensio de conditore, plurimos ad hanc doctrinam attrahere: Sed amor sordidarum voluptatum corporis arcet hanc

hanc cogitationem, & vix utilitate mo-
uētur homines ad colendas artes. Ac, ut
de alijs artibus non dicam, necessitas
manifesta est artis Medicæ in tuendis
hominum corporibus, inde usq; à for-
matione fætus in utero cum est *ἐμβρυον*;
Et tamen huic arti debitus honos à pau-
cis tribuitur, multò pauciores etiam ei
obtemperant. Ante morbos ruunt ho-
mines, non solum quâ trahit cupiditas:
sed multo magis, quò impellunt vicio-
sissimi mores; & morbos sponte accer-
sunt, & sunt parricidæ priorū corpo-
rum; in gluuie & libidinibus extinguunt
vires ventriculi, epatis, cerebri, pulmo-
nis, pectoris & aliorum membrorum.
Deinde in ipsis morbis non patiuntur
medicas leges, sed quæ in præsentia de-
lectant, ea auidè ingerunt & hauriunt.
Nec fit hoc naturæ infirmitate, sed

B

multò

multò magis contumacia voluntatis, mala consuetudine confirmata. Optandum igitur esset multos utilitate artis medicæ moueri, ut eam audirent, & legibus eius parerent. Hæc disciplina & vitæ plurimorum spacia dulciora & longiora adderet, & prodesset moribus, & conduceret ad intentionem in inuocatione Dei. Ac præcipi hanc diligentiam à Deo manifestum est. Iubet Paulus honorem haberi corpori; qui singulari consilio hoc modo loquitur. Non ait, ut alij: caute ne lædatis corpora; tribuite corporibus necessarium victum, et necessariam quietem; Hæc præcepta sæpe repetuntur: Sed ipse maius quiddam hic præcipit, cum iubet honorẽ tribui. Quid igitur sit honos sapienter considerandum est. Cuicunq; rei post Deũ tribuitur honos, tribuitur pro-

propriè ob hanc causam, quod sit organum Dei, ut: Magistratui honos tribuendus est, quia hic gradus diuinitus ordinatus est, et ita est salutaris, cum à Deo adiuuatur. Sic intelligas corpori tuo honorem deberi, non solum quia ars fabricationis diuina est: sed multò magis, quia ad hos usus à Deo conditum est, ut sit templum et organum Dei. Vult Deus lucere in tuo cerebro, vult in corde tuo suos motus accendi, et vult in cogitationibus tuis à te conspici, vult miscere spiritibus cordis tui flammam sui Spiritus, de quo dixit: Effundam de meo Spiritu super omnem carnem; Vult auribus accipi vocem suæ doctrinæ, vult oculis conspici sua testimonia. Ad hos usus præcipuè condita sunt humana membra, quibus Deus vult hunc honorem tribui, ne violentur, cum sint templa Dei. Cogitemus igitur, quanta

B 4

scelera

scelera sint, vel ante morbos excutere
Deum, & petulanter accersere causas
destructionis, vel in morbis non ad-
hibere remedia, ut templum Dei re-
stituatur. Languefacto cerebro, quæ
possunt esse de Deo cogitationes? quæ
inuocatio, si non sit intenta cogitatio
in Deum? Quæ possunt esse de officijs,
quæ Deus tibi mandauit, deliberatio-
nes? Quomodo cor & cætera mem-
bra exequi officia mandata possunt,
cum aut sordidis voluptatibus aut mor-
bis impediuntur? Quid fuit pulchri-
us Dauide præliante cum Goliath?
Tunc enim cum, rectè valens, verè esset
templum Dei, cerebrum cogitans de
Deo, plenum erat luce diuina: cordis
spiritibus permixtus erat Spiritus Dei,
& hic spargebatur in omnia membra,
eâq; corroborabat, ut ferre illam tan-
tam

tam molem possent. Hic idem quam
turpis fuit, cum se obscænis volupta-
tibus contaminavit, & animi & corpo-
ris vires debilitavit, excusso Deo: Qua-
re cum seuerissimè prohibeat Deus lædi
corpora; & prohibeat ob hanc causam,
ne organa ipsius & templa violentur,
cognoscenda & amanda est ars Medi-
ca, quæ & ante morbos, ordine regit
corpora, & in morbis restituit: eamq;
ob causam alibi præceptum est: *Ho-
nora Medicum: Nam propter necessi-
tatem eum Deus creavit.* Dicit, non
superuacaneum esse Medici usum,
aut deliciarum causa tantum adhiben-
dum, sed præcipit ut eo utaris tanquam
necessario præsidio diuinitus dato. Sed
qualis sit multorum barbaries videtis:
Sani derident totum vitæ ordinem, quæ
ars ostendit: Aegroti aut non adhibent

B 3

Medi-

Medicos, aut serò vocant: Et innume-
rabiles homines hac negligentia pere-
unt, quæ grauitè offendit Deum. Si
qui conualescunt, adiuti Medicorum
ope, postea ingrati rursus contemnunt
& artem & Medicos. Monet autem
Syracides, Dei opera esse utraq; & reme-
diorum vires, et felicem Medicum. Aspi-
ce res nascentes, et considera, quanta ar-
te singulis morbis certa remedia Deus
conditor opposuerit, & certis membris
certa præsidia attribuerit. Memini ho-
nestam Matronã diu laborare periculo-
so matricis morbo: Tantum iubebat Me-
dicus Libanotidem in vino coqui, & eo
vino tanquam potu uti, quod cum face-
ret matrona, feliciter cõualuit. Vidi fe-
liciter liberari Pleuritide utentes tantũ
succo foliorum Chamæleontis. Quam
gratæ sunt herbæ Epati *κικώριον* & absin-
thium

thiū? Pulmoni Hyſſop⁹, praſium γλυκὺ ῥίζα,
Spleni Phyllitis? Meo Patri leniſſimè
pellebat calculos puluiſculus ex ſuccino
Pruſſiaco. Et ſcio multis idem remedi-
um ab ipſo datum profuiſſe. Sunt &
certæ vulnerariæ, ut Lyſimachia, Achil-
leis, conſolidæ. Sunt & quæ contu-
ſis oſſibus & neruis propriè medentur,
Malua, Althea. Deniq; diſtributio re-
mediorum adeo artiſicioſa eſt, ut cla-
riſſimè conuincat humanas mentes,
hanc rerum naturam non caſu, ſed mi-
rando conſilio Dei conditam eſſe. Dul-
ciſſimè igitur Stigelius ſcripſit :
Præſentemq; Deū qualibet herba refert.
Nec vero Syracides remedia tantum
ait à Deo condita eſſe : ſed etiam Me-
dicum. Deus enim Autor eſt diſſimi-
lium artiſicium, & alijs alios motus in-
geniorum tribuit. Eſſe ſagacem & fe-
licem

licem Modicum , Dei dona sunt : ut
cum Hippocrates depulit pestilentiam à
Thessalia , syluis incensis , ita ut flam-
ma & venti aërem Atticum pellerent.
Memini laboranti insomnia, tantum ex
frigiditate ventriculi & cruditate , dari
à cœna Iulep : quo cum morbi auge-
rentur , fiebat malum atrocius. Admo-
nitus ægrotus, remotis frigidis , opposu-
it calida cruditati : ita redijt somnus, &
multos annos postea vixit ille homo, &
commonefactus de causis , bonam va-
letudinem retinuit , etiam in longa se-
necta. Carissimo Patri meo iter fa-
cienti ad Smalcaldiam dabantur pellen-
tia calculum , cum esset asperrimum
frigus : remedia mouebant materiam,
quæ cum copiosè confluxisset , fiebat
maior obstructio , quam & frigus au-
gebat. nullam igitur urinam dies
totos

totos vndecim emisit, cum quidem
Medici multa tentarent. In hoc tanto
periculo, tantum diuina ope seruatum
esse comperimus. Nam, contra aliorum
omnium consilia iussit se auehi. In ea
vectatione & quassatione meatus pate-
facti sunt, & erupit copiosè urina cum
calculis. In tantum periculum venerat
meus Pater, intempestiuè in frigore
sumptis pellentibus calculum. Nec du-
bium est, multa errata accidere non
consideratis morborum causis ex ijs
circumstantijs, quarum obseruatio ne-
cessaria est. Nec diligentia humana,
nisi diuinitus adiuuetur, pericula tam
multa præuidere potest; ut in bellis Du-
cum sapientia & diligentia sine Deo
non potest omnia pericula cauere. Ad-
ferat igitur artifex ad medicationes non
solum eruditionem, experientiam, fa-
C gaci-

gacitatem: sed etiam inuocationem
Dei, ac petat à Deo consilia monstrari,
& regi dexteram, & iuari ipsa remedia,
quorū *ἐνέχυρα* sunt à Deo conditæ, & ita
vigent, cum à Deo adiuuantur. Deniq;
sciamus, & Medici & Ægroti, opus Dei
esse vitam ipsam, sicut scriptum est: In
Deo sumus, vivimus, et mouemur: et pe-
tamus & expectemus ab ipso condito-
re vitam, & simul ordinem, quem insti-
tuit, diligenter seruemus. Simus memo-
res diuini mandati: *Honorem tribuito
corpori.* Non violes templum Dei ac-
cerfendis & augendis periculis, negle-
cto vitæ ordine, vel ante morbos, vel in
morbis. Hæc qui cogitat, Medicam ar-
tem & diliget, & magnificiet, & in ipsa
remediorum consideratione Deum cō-
ditorem agnoscet & grata mente cele-
brabit, & cum præceptis artis obediet,
frue-

fructur his magnis commodis; minus
ægotabit, & ægotus facilius depellet
morbos. Ita, cum erit valetudo firmior,
non solum vita ei dulcior, erit sed eti-
am labores necessarios priuatim & pu-
blicè melius sustinere poterit, & quod
multò maximum est, in maximarum re-
rum deliberationibus, & in cogitationi-
bus de Deo & in iuuocatione minus
impedietur. Valde grauis sarcina est, &
magna remora mala valetudo. Vt, quis
usus est in bello Ducis ægoti, seu cuius
est incerta valetudo, seu cuius corpus
non est laboris patiens, qui non inspicere
loca, non occurrere periculis potest?
deniq; cuius cogitationes morbis impe-
diuntur? Hanc ægoti Ducis imaginem
nobis, etiã in priuata vita, proponamus.
Nam eodem modo, in singulis, morbi
necessarios labores multos impediunt,

- C 2

&

& vitam efficiunt molestam & miseram; quod ne fiat, primum à Deo bonam valetudinem & vires corporis integras petamus, deinde & nos diligentiam, & artes abhibeamus, quas adhiberi iussit, & grati Dei beneficijs utamur, & autorem celebremus.

D I X I.



D E



DE

D. MARTINO LUTHE-
RO MAGNO, DIVINI-
tus ad Ecclesiæ Christianæ
instaurationem, mis-
so.



*I*n cælum quando remigras, di-
uine Luthere,
Mortuus, & Superùm regna
beata colis:

*I*n cælum pariter remigrat concordia
tecum:

*P*ulsaq; fit comes huic cum Pietate
Fides.

*P*ro quibus hinc toto Vis et Discordia
mundo,

*E*t cum Bellonâ regnat Erynnis a-
trox.

C 3

DE



DE

D. PHILIPPO MELAN-
CHTHONI: COMMUNI,

tum sacrarum tum humanarum literarum,
suo seculo, Parente, ac innocentissimæ vitæ, omniumque
virtutū exemplo singulari.

*Q*uæritur, arrodant plures cur scri-
pta Philippi,

*Picaq; Luscinia certet inepta sonis?
Arte dolent omnes se vinci. Plurimus
ergo*

*Momus in arte, ipsi, nullus in arte Mi-
mus.*

*Stultis stulta placent. Cunctis gratissi-
ma doctis*

*Si qua Melanchthonium pagina no-
men habet.*

FINIS.

PSAL: CXII.

In memoria æterna erit iustus: ab auditione mala non timebit: firmum est cor eius sperare in Domino: confirmatum est cor eius, non timebit, donec gaudebit de inimicis suis. Iusticia eius manet in seculum seculi: cornu eius exaltabitur in gloria. Impius videbit & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet: Desiderium impiorum peribit.

VRATISLAVIÆ

typis suis describebat Georgius
Bauman.

ANNO N.C.

cl *l* *XCVIII.*

M. April. D. xix. qui est, secundum fastos veteres, emortualis dies Philippi Melanchthonis, viri jmmortalem memoriam & gratiam, sanctis & doctis laboribus, meriti.

SOLI DEO GLORIA.

V. D. M. I. Æ.

224. CXII

In memoriam...
...
...
...
...
...
...
...
...
...
...

WRATISLAVIA

episcopus...
...

ANNO MDC

1600

...
...
...
...
...
...
...
...
...
...

2011 DEO GLORIA

1600



MS. A. 9. 40

AB: 101940

ULB Halle 3
002 422 557


Nr. 16 = Handschrift Sb.

V. 17

Reho ✓







ORATIO
DE ARTE ME-
DICA, ET CVRA TV-
ENDAE VALETV-
DINIS,

Scripta

à

PHILIPPO MELANCH-
thone in Academia VVitebergensi,

Recitata

à

PAVLO, MARTINI FILIO,
LVTHERO, MED. D. IN
ACADEMIA IENENSI,

*nunc primum ex ipso autogra-
pho in lucem edita*

VRATISLAVIÆ

Anno M. D. XCVIII.